

*b. Jo. Seb. Mülleri annales Saxonici* abunde testantur: quibus nihil fuit carius, nihil antiquius, puritate doctrinæ & melioribus litteris.

§. IV. Inter omnes Musarum sedes scholasticas, quæ & Saxoniam & totam Germaniam illustrent, eminent *illustre Gymnasium academicum Coburgense*, quod a Serenissimi conditoris nomine *Casimirianum* cognominatur, cuiusque historiam descripsit *b. D. Godofredus Ludovici*. Hoc ut post tot fata in meliorem nunc redigatur statum & maiorem adipiscatur celebritatem, in id omni cogitatione omnique cura incumbit Serenissimus Princeps FRANCISCUS JOSIAS, Dux Saxoniae, cuius eximiam prudentiam & in consiliis capiendis felicitatem grata posteritas summis efferet laudibus & elogio ornabit singulari.

§. V. ERNESTI PII, quem universus colit orbis terrarum, posterio optimarum artium officinas, *Gothæ & Altenburgi* exstructas, præcipua munificentia conservarunt; id quod eorum nomina commendavit æternitati. *De meritis Ducum Gothanorum in Augustanam Confessionem & bonas litteras* peculiaris exstat oratio *Georgii Kreckemeyeri*: & profecto Serenissimus Dux FRIDERICUS III. qui iam reipublicæ onus sustinet, maiorum suorum merita non tantum exæquabit, sed etiam superabit, cum sit Princeps excellentissimæ pietatis, egregiæ sapientiæ, & eximie iustitiæ.

) ( 2

§. VI.